



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Generale illud fuisse, non verò provinciale scripsit illustrissimus Archiepiscopus. Quod etiam probatur ex canone XVIII. ejusdem Concilij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

per provinciis sequeretur, & quod ignotos in vitiis populis Episcopos daret. Fatale fuit illud aeo Leonis in Vi-caris apostolica sedis.

IX. Leo adversus Hilarium decernit uti suis uniusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium presumeret.

X. Deinde Hilario adimit potestatem congregandi Concilia generalia, illum preterea privans auctoritate metropolitana in provincia Viennensi.

XI. Tribuit Leoncio Episcopo Forajulensi auctoritatem convocandi Concilia generalia. Sed tamen multo saepe constitutionem illam condidit, ut Gallicanorum Episcoporum consensum eliceret.

I. **A**MPLIFICANDE auctoritatis suae studiosus Hilarius Episcopus Arelatensis, ambitionem suam canone ecclesiastico firmari procuravit in Concilio Arelatensi secundo, quod generale erat ex provinciis Gallicanis circum Arelatem positis. Sed antequam de re ipsa agamus, necessarium videtur constituere tempus istius synodi, cum exploratum habemus, ut Sirmondus ait, de Concilio istius tempore nihil sit. Recte censuit idem vir eruditissimus posterius illud fuisse Arausicano & Valensi, quorum ex canonibus Concilij hujus canones pro parte contexti sunt. Sed in hoc, ut mihi quidem videtur, humani aliquid passus est, quod habitum putavit sub Ravennio Arelatensi Episcopo, qui successit Hilario. Nam cum constet temeritatem Hilarij, qui magnas synodos propria auctoritate congregabat intra Gallias, a sancto Leone repressam esse epistola scripta anno quadringentesimo quadregesimo quinto, locus non est dubitandi quin synodus illa habita fuerit ab Hilario, adversus quem Leo incanduit ob hanc ipsam causam. Neque verò ego id dico, sed illustrissimus Archiepiscopus, qui adnotat synodum illam esse constituendam inter annum CDXLII. & CDXLV. quo scripta est epistola Leonis adversus Hilarium.

II. Constituto itaque tempore istius synodi, inquirendum deinde est utrum fuerit generalis, an verò provincialis tantum. Illustrissimus Archiepiscopus ostendit in libro sexto istius operis fuisse generalem, ob eam videlicet causam, quod in ea adfuerint Episcopi & Metropolitanis diversarum provinciarum, de quibus componendis agitur in variis canonibus istius Concilij. Cui observationi potest addi, ex canone XVIIII. (quem mox referemus) videri datam Leoni occasionem invehendi in Hilarium, quem videbat efferentem se paulò nimis supra collegas suos, ad exarchicam auctoritatem tendere magnis passibus, cum palam & apertè se gereret ut Primas Episcoporum Gallicanorum.

III. Hilarius enim, postquam repetitis actibus possessionem suam pro congregandis Conciliis stabiliverat, respiciens fortassis ad canonem sextum Nicanum, quod Patriarcharum auctoritatem consuetudine & longo annorum usu firmatam aeterna lege solidatam esse voluit, ne quid deinceps dubietatis ex hoc capite oriri posset inter Episcopos, ad hæc inquam fortasse respiciens Hilarius, sibi consensu decretòque Episcoporum confirmari in Concilio illo Arelatensi procuravit auctoritatem in cujus possessione erat. Decretum itaque est ut quoties Arelatensis Episcopus synodum generalem congregaret, ad eam singuli Episcopi ab eo evocati tenerentur accedere, nisi infirmitate impedirentur; & si quis adesse negligeret, aut abscederet ante finem Concilij, is alienus à communione esset, nec ei quisquam communicaret donec in sequenti synodo fuisset absolutus. Hæc sunt verba synodi: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Marini tempore legitimus celebratum fuisse Concilium atque conventum. Si quis communitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat. Si quis autem adesse neglexerit, aut cætum fratrum antequam Concilium dissolvatur crediderit deserendum, alienatum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.* Adnotat porro heic illustrissimus Archiepiscopus callidum esse canonis istius consilium, qui ita conceptus est, ut dicere prima fronte videatur Concilium Arelatense primum fuisse congregatum auctoritate Marini Episcopi Arelatensis; cum tamen certum sit convocatum fuisse ab Imperatore Constantino. Sed quærebatur ab Hilario exemplum vetus adeptæ potestatis, seu verum illud, seu falsum, modò veri speciem haberet. Nam ut in aetatis auctoritatem senectus habet, quemadmodum observatum est à Tullio, sic in exemplis antiquitas. Et ubi vetustatis auctoritas quæritur, grandioribus decet exemplis uti, quò facilius homines persuadeantur.

IV. Haud ita multò post incidit occasio gravis, quæ ingentium motuum causa fuit. Nam Hilarius, postquam primatus ejus per Gallias sine controversia esse visus est, provincias visitans jure metropolitico, cum accessisset ad sanctum Germanum Autissiodorensis Episcopum, inaudivissentque Vefontionenses illum in vicinia esse, *flammata*, ut ait auctor vitæ Hilarij, *ad utrumque nobilium & mediocrium studia convolarunt, adstruentes Chelidonium* (Vefontionensis Episcopus erat) *internuptam suo adhibuisse consortio, &*

Concil. 1. Arelat. cap. 18. 19.

Vid. lib. 4. p. 7. 2.

Vid. lib. 6. cap. 7. 1.

Vita Hilarij edita in Chronol. San. 4. det. insula Leni. pag. 113.